

nis-Augusti Mareschalli de Bieberstein Ministrorum nostrorum, status intimorum, eosdem nominavimus, elegimus, & constituimus, sicut & præsentibus hisce eligimus & constituimus, Legatos nostros extraordinarios & Plenipotentiarios ad Tractatus Pacis Ultrajecti institutos. Committimus autem & speciatim mandamus prædictis Legatis nostris Plenipotentiariis ut Pacis colloquia, sive directe, sive interveniente opera, hinc forsitan recipiendorum Mediatorum instituant, & instituta continuant, cum Serenissimi, Potentissimi, & Christianissimi Principis Domini LUDOVICI, Franciæ & Navarræ Regis, Fratris, Cognati, & amici nostri charissimi, ejusque foederatorum Legatis, Plenipotentiariis & Deputatis sufficienti mandato ad præsens Bellum extinguendum. controversiasque quæ eo spectant, per bonam & firmam Pacem componendas pariter munitis. Damus quoque plenam & absolutam potestatem cum omni autoritate & mandato ad id necessariis, prædictis Legatis nostris Plenipotentiariis conjunctim, vel uno illorum absente, aut impedito alteri rebus omnibus & singulis, quæ in negotio Pacis quacunque ratione aguntur, deliberantur, atque in commune conferantur, pro nobis, nostroque nomine assistendi & Pacis Tractatum continuandi, concludendi & signandi inter nos, & prædictum Regem Christianissimum, ejusque foederatos. Omnia quoque instrumenta quæ in eum finem requiri possunt confi-ciendi, expediendi, extradendi, adeoque in universum agendi, promittendi, stipulandi, concludendi & signandi Acta, Declarationes, Pacta, Conventa commutandi, aliaque omnia quæ ad dictum Pacis negotium pertinent, vigore hujus Mandati faciendi,